



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Prologus. In Laudem Sanctorum Patrum, Qvorum Authoritati Innititur Hoc
Opus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)



PROLOGUS.

IN LAudem SANCTORUM PATRUM, QVORUM AUTHORITYATI INNITITUR HOC OPUS.

Perspicium sanè est, Urbique & Orbi notum, omnem scientiam & quamcunque doctrinam non modò ex propria sua entitate, perfectione, excellentia, & concomitantibus proprietatibus suam fortiri famam, acquirere estimationem, & dignitatem aliasque prerogativas, verum etiam ab Institutentis auctoritate, ejusq; ingenii subtilitate, gloriae magnitudine, & sanctitatis honore plurimum decoris accrescere & veluti quibusdam extraordinariis collustrari radiis, novaq; circumfundi luce, hinc olim ex eo quam maxime, quòd in Magistris suis particularis virtutis splendorem suspicabantur, Philosophia Gentium in tot abiit classes, ut alii se se Pythagoricos, alii Socraticos, alii Mercurianos, alii Zenonicos, alii Atlanticos, alii Libyicos, alii Academicos, Platonicos, & alii deniq; Aristotelicos dicerent & compellarent, ut sapiente Patre & Magistro gloriarentur, quod etiamnum hodie evenire cernitur, dum aliqui Thomistæ, alii Scotistæ, tertii Occamistæ vel Nominales vocantur & nominantur, ut proinde palam quilibet sibi magis spondeat, & victoriam polliceatur certiozem & gloriosiozem, quò Ducez putat se habere Illustriozem. Meam debilitatem & nihilitatem ego cognosco, unde ex me ipso nihil gloriae, nihil honoris Philosophiae accrescet, sed nec hoc pratendo, Gloriam inde assumo quòd Philosophia mea hæc, Sanctiora Ecclesiae militantis & triumphantis Lumina habet Directores, Gubernatores & Magistros, quos sequi conatur veluti Pharos, & Cynosuras feliciozes, & eorum mentibus Ingenio & acumini infertentis accommodare, Qualia Lumina, imò quales soles sunt, Divino oraculo declaratus MAGNUS AUGUSTINUS Mellifluus & Lacteus BERNARDUS, ac subtilissimus & acutissimus DOCTOR JOANNES DUNS SCOTUS: Ea namque est Divi Aurelii Augustini Excellentiae
f Ma-

Majestas & gloria, ut quemadmodum in eo dignè collaudando nullus reperire valet periodum, ita ubi incipiendum sit vix invenitur Condignum exordium, quare optima erunt Elogiorum encomia Illustrium Sanctorumque virorum testimonia, quæ præstare eò facilius quò Sancti Patres & Doctores sese profuderint copiosius, & plurimis rei veritatem paucis contestabor. Divus Paulinus Epist. 3 1. quæ reperitur Tom. 2. in Operibus Augustini acceptis & lectis nonnullis ejus Opusculis contra Manichæos exclamat: *O verè Sal terra, quo præcordia nostra, nè possint sæculi vanescere errore, condiuntur! O Lucerna dignè supra Candelabrum Ecclesia posita, quæ latè Catholicis Urbibus de septiformi lychno pastum oleo latitit lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, & lucem Veritatis à Confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas! Ostium fistulam aquæ vivæ, & veram fontis aterni dixerim merito, quæ fons vitæ aquæ salientis in vitam aternam Christus effectus est, cuius desiderio sitiivit in te anima mea, & ubertate tui fluminis inebriari terra mea concupivit.* Abbas Abfolon ferm. 46. supra Genesim appellat eum Paradisum Dei & Ecclesiæ, ait namque *Quadripartita serie scripturarum tanquam paradisi fluminibus faciem Ecclesiæ rigat.* Martinus V. Papa Max. in sermone de transl. S. Monicæ ait: *Nulli penè ut ita dicam Sanctorum maiora merita debemus, quàm Augustino, quidquid enim simul omnes Apostoli atque alii Apostolorum sectatores rigarunt hic coronavit.* S. Gregorius Epist. ad Præfectum Africæ sic loquitur: *Beati Augustini Compatriotæ legito opuscula, & ad Comparationem illius similaginis nostrum sursum non quæretis.* Divus Bernardus eum vocat Hæreticorum malleum, nam agens contra errores Gilbeati Porretani ferm. 80. in Cant. dicit: *Augustinus hic est validissimus Hæreticorum malleus.* Nec hoc sine particulari mysterio, cum eum hæreticorum terrorem, ensẽ, sagittam, aut lanceam compellere potuisset; Sed malleum dixit, quia hic non modò ferit & lædit, sed etiam ferrum concutit, conquassat & ad omnem formam contundit, ut non immeritò Ecclesiasticum Officium in Præfatione Missæ ipsius Festivi Diei canat de eo: *Obmutescit Fortunatus, cedit Manes & Donatus tanta lucis radio, destruxit Hæreses, errores repulit, hæreticos prostravit.* Eodem quodammodo elogio eum prosequitur Cassiodorus dicens: *Doctor eximius beatissimus Augustinus Debellator Hæreticorum, Defensor fidelium, nescit dare locum hæreticis;* Æncidos verò Episcopus Papiensis non modo *Doctorem eximium* eum compellat, sed *Doctorem maximum* vocat, quasi diceret, alii Doctores sunt equidem fluvii rigantes Ecclesiam, at Augustinus fons est, unde hi emanant; alii

alii sunt equidem etiam Salvatore teste *Lux mundi*, at Augustinus Lux est Doctorum mundi, alii resplendent sicut Sol in Ecclesia Dei, at Augustinus resplendet ut Sol omnium Doctorum, nam doceat Thomas quidquid velit, ab hujus Solis & Lucis radiis collustratur. Subtilizet Scotus, Augustini acumine acuitur, & solidatur, non loquitur Albertus licet Magnus, minimum nisi oriatur hic Titan ab undis, silent etenim Academiae, & Universitates, ubi continet Augustinus, *ubi namq;*, ut quidam ait, *ad Antistidem Augustinum venit, Legi deest quidquid contigerit ignorari.* Audi praclarissimum testimonium D. Anselmi dicentis: *Hic est Augustinus, quem Dominus Caelitus erudit, & in toto orbe terrarum Legis Doctorem & Legiferum Principem fecit, & claves solvendi, Librum atque aperiendi;* Eum scilicet quem Joannes in Apocalypsi viderat septem sigillis signatum scriptum intus & foris, quem aperire nemo potuit, quem Librum ait S. Thomas de Villa nova fuisse Sacram Scripturam, unde in laudem Aurelii Augustini haec subdit: *Vix diuturna unius hominis vita (mirum quidem est) sufficit ad eosdem libros legendos, & valuit ipse ad eos scribendos,* cui elogio appositè additur testimonium aliud, Theodulphi Episcopi Taurinensis, qui loquens de S. Patre ait: *Mentitur qui te totum legisse fatetur, aut qui cuncta tua Lector habere potest.* Omitto plura alia peregrina, unum domesticum addo ipsiusmet S. Patriarchae de seipso, Ingenioque suo sublime testimonium perhibentis, cujus testimonium, verum est, DEUS scit, quia non mentitur dum confitetur Lib. 4. Confess. c. 16. *Quid mihi proderat, quòd annos natus ferme viginti cum in manus venissent, quadam Aristotelica, quas appellant decem Categorias (quarum nomine tum eas Rhetor Carthaginensis Magister meus buccis typho crepantibus commemoraret, & aliqui Docti habebantur tanquam in nescio quid magnum & Divinum suspensus inhiabam (legi eas solvi & intellexi? quas cum contulisset cum eis, qui se dicebant, vix eas Magistris eruditissimis, non loquentibus tantum, sed multa in pulvere depingentibus intellexisse; nihil inde aliud mihi dicere potuerunt quam ego solus apud me ipsam legens cognoveram. Et quid mihi proderat quòd omnes Libros Artium quas Liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum servus per me ipsum legi & intellexi, quoscumq; legere potui? Et gaudebam in eis, & nesciebam unde esset, quidquid ibi verum & certum esset. Dorsum enim habebam ad lumen & ad ea quae illuminantur faciem, unde ipsa facies mea, quae illuminatà cernebam, non illuminabatur. Quidquid de arte loquendi & differendi, quidquid de dimensionibus figurarum & de Musicis, & de numeris sine magna difficultate nullo homine tradente intellexi, scis tu Domine DEUS meus, quia & celeritas intelligendi, & disputandi*

acumen donum tuum est, sed non inde sacrificabam tibi. Quid mihi tunc proderat ingenium per illas doctrinas agile, & nullo adminiculo humani Magisterii tot nodisimi Libri enodati, cum deformiter & sacrilegâ turpitudine in doctrina Pietatis errarem. O mirabile & nunquam satis deprædicabile ingenium! Quis unquam vidit huic simile, ut proinde nulli melius vulgata laudativa phrasis applicari possit Magni Aurelii Augustini laudi & gloriæ, dictione aliquid conferre velle, esse, decerpere, & face cupere solem meridianum illustrare.

De Lactei Mellifluique Doctoris *Bernardi* Sanctitatis gloria & decore, quo coronatus est, nullus remanet ambigendi locus, quem Ecclesia hucusque venerata est & coluit veluti suum Doctorem suavissimum pariter & utilissimum & invictissimum Defensorem contra mundanas Principum Potentias, & Principes ipsos tenebrarum harum, quorum Commotionibus & instigationibus diro & diuturno lacerabatur & distrahebatur Schismate, ut verus Patriæ Pater, Orbis & Urbis Pacificator sit compellatus, non modo à Summis Pontificibus Probisque Viris, sed etiam ab Illustrissimis Regibus Franciæ, nam *Ludovicus XIII.* in Diplomate dato Congregationi Fulienti pro fundatione Monasterii Fonetani ait: *Bernardus est magnus Celebrisque Confessor, Pater & Doctor Ecclesiæ, Reformator populi, Purificator schismatum & dissensionum, Patriarcha Religionis, Operator Miraculorum, Devotus amator Virginis.* Imò plus dico: Bernardus est Magnæ Matris Virginis Intimus Cancellarius, & Eximius Domûs DEI ejusque Gloriæ Zelator, & ut ait Bellarminus: *Vir planè Apostolicus, non minus gloriâ miraculorum, quàm splendore sapientiæ illustris.* Ità in Lib. Descript. Ecclesiæ, & quamvis in toto Orbe veneraretur ut Apostolus & Propheta quod constat ex eo quod Principes (ut loquitur Otto Episcopus Frisingensis de gestis Imperat. Friderici) *vocandum, adeoque quid de hac re fieri oporteret tanquam à Divino Oraculo Consulendum decernunt,* nempe dum Orbis Christianus moliretur expeditionem transmarinam ad recuperanda loca sancta, ut de ipso Beatus Amandus seu Henricus Suso testetur serm. 4. de Resignat: *Ne dum aliis quibuscunque sed ipso etiam Summo Pontifice fuit honoratior, quod ille tamen non pluris fecit quàm lutum platearum,* utpote, cum omnes oblatas Ecclesiasticas dignitates constantissimo & invictissimo animo, rarò humilitatis exemplo respuerit, fuit Mellifluus & Lacteus Doctor *Bernardus* in mansuetudine Moyses, in Spiritu & virtute Elias, Incruentus Martyr in mortificatione proprii Corporis, nam ut ait *Alexander III.* in Bulla Canonizationis, *in afflictione Corporis hic usque adeò sibi mundum, seque mundo reddidit Crucifixum, ut confidamus Martyrum quoque merita eum obtinere Sanctorum, quem Confessionis*

fessionis ordine & parsimonia vita tam longum constat duxisse
 Martyrium. Quæ omnia quàm maximè Sanctum Doctorem
 deprædicant & cui Excellentiam Summam demonstrant, Adde
 tamen aliud breve sed solemne Divi Encomium, quo Eum conce-
 lebrat Jacobus à Vitriaco S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Episco-
 pus Tusculanus lib. de Hist. occid. c. 14. ubi eum appellat Religio-
 nis probatissimam Margaritam, Lucernam Ordinis, & stellam in
 firmamento Ecclesiæ radiantem, qui non ab homine neque per ho-
 minem sed sola Dei inspiratione præminentem Sanctarum Scri-
 pturarum accepit intelligentiam & quasi de ipso Dominici pecto-
 ris fonte potavit celestes aquas, quas diffunderet in plateis multis.
 Prætereo hic etiam plurima alia solemnissima testimonia hujus san-
 cti Doctoris non modò Pietatem, sanctitatèmq; sed etiam sum-
 mam scientiam extollentia, nam ut utar verbis Andrea Sylvi:
*Eius vita in tantum excelluit, ut parum sit omne quod in eius lau-
 dem dictum vel scriptum fuerit,* unum tamen est de quo non con-
 troversia, sed suspicio oriri potest, num rectè Philosophiæ Magi-
 strum & hujus facultatis directorem atque sydus imitandum pro-
 ponam, cum in scriptis ejus nihil sit quod Philosophiam redoleat,
 ut in scholis à nullis propositum fuisse audiri nihil ipsi objici con-
 tingerit, verùm sinistrè garriant ij, quibus cum ex Professione con-
 natum est impugnare omne quod suum non est, nam cum tantæ
 sit deprædicatus sapientiæ id omnibus in suo genere comparari
 possit, quis eum Philosophum fuisse negare præsumet? Cùm Phi-
 losophum esse aliud non sit, quàm esse sapientem, cùm ii, qui Phi-
 losophi erant, sapientes dicebantur, & nomen Philosophi primò
 à Pythagora sit introductum teste Divo Augustino lib. 14. de Tri-
 nit. Cap. qui loquens de Pythagora ait: *Qui cum ausus non fuisset*
se sapientem profiteri, Philosophum potius se esse respondit, à quo id
nomen exortum ita deinceps posteris placuit, ut quantalibet de re-
bus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi, vel aliis
videretur excellere non nisi Philosophus putaretur. Nec refert quòd
non scripserit eam modo scholis proponi solito, quia alioquin nec
 Theologum eum fateri vel compellare posses, sicut nec quemcun-
 que alium ex Sanctis Patribus, qui omnem suam doctrinam ad Pie-
 tatis formam ordinârunt non ad methodicam seriem se se obli-
 gantes. At tamen nè mea inventione Philosophus dicatur, duo (pos-
 sem equidè plura) adfero testimonia, in quibus stabit hoc verbum:
 Primum est nominatissimi Ecclesiæ R. P. Hieremiæ Drexelii Societ:
 Jesu in Aurifodina lib. 1. c. 7. ubi hæc habet: *Bernardi effigiem vide-*
re cupis scripta intueri: Verbis disertus, sententiis venustus, rebus
abundans, sensu ac succo meliore plenus, nervo dicendi lacertosus,
eloquio suavissimus, & mer a pietatis mella stillans assidue veritatis sem-
per amantissimus, superi! quam ille delectat, docet, stringit, movet,
 per-

persuadet, expugnat. Nam modò cautum Oeconomum, modò sollicitum Patrem familias, modò fidelem Monitorem, modò severum Præceptorem, iam Ascetam, iam Ethicum, iam & Politicum, nunc Philosophum, nunc Consiliarium, nunc Theologum agit. Alterum est Helinandi lib. de Reparati: lapsi cap. 8. ubi dicit: *Legem pulcherrimum Librum de Consideratione ad Eugenium ex cuius nobilissimo stylo poteris colligere Authorem libri sapienter fuisse Apolline, eloquentiorem Demosthene, subtiliorem Aristotele, moderatiorem Socrate, discretiorem Platone.* Vides qualiter non modo Philosophus asseritur S. Doctor imò etiam omnibus præfertur.

Quanta verò sit subtilissimi Joannis Duns Scoti Excellentia, Ingenii sublimitas, doctrinæ subtilitas & firmitas, in Dialecticis Ventilationibus acumen, in Physicis profunditas & in mysteriis fidei enodandi dexteritas, satis testantur Doctores celebriores omnes qui eum Theologorum & Philosophorum Principem facile compellant, nam ut ait Antonius de Fantis in epist. dedicat. Scotici Repertorii (fuit hic Tarvisinus medicus:) *Hunc unum inter Sacra Theologia Professores ut inter Evangelistas de B. Joanne in Confesso est, Aquilam aut alterum mundi Phœnicem Jure nuncupaverim, illius siquidem opera si paulò accuratius inspiciamus eadem eum aliorum Theologorum operibus conferentes non humano quidem ab ingenio, sed vel Angelico, planèque Divino, vel potius à Cœlesti quodam Numine profecta & excogitata fuisse intelligemus, & supra Candidissima Doctoris volumina absque ulla erroris caligine hunc usque in diem inviolata permanserunt.* Similia habet Antonius Possevinus Societ. JESU in suo apparatu, ubi de Scoto ait loquens: *In Scripturis Divinis ac in Philosophia Aristotelis adeo præstitit, ut in Disputationibus ceteris palmam præriperet, atque ob id Doctor subtilis fuerit appellatus. Cujus doctrina grave illud testimonium extat, quòd ejus Libri absque ullo erroris nevo, usque in hanc diem 300. circiter annis in Oecumenicis Conciliis inviolati permanserunt.* Imò Sacra Congregatio Cardinalium circa annum 1610. Decreto sancivit omnibus doctrinarum, & Librorum Censoribus, ut quidquid esse Scoti constaret, intactum inviolatumque admitteretur, ut habet Cavellus in vita Scoti cap. 5. & Wadingus. Possem hic longum retexere Catalogum aliorum solemnissimorum Doctorum Summis laudibus & titulis Scotum deprædicantium tam ex proprio ordine, quam ex aliis Sacris Religionibus, & Ecclesiæ Cardinalibus, quia tamen id fusè præstitum est ab aliis, non puto hic multiplicandum laborem. Quia tamen Divus Chrysostomus hom. 82. in Joannem ait: *Veritatis maximum argumentum, quando quis alienos in testimonium adducit, ideo singulare elogium quod in laudem Scoti nonnullus Theologus è Societate JESU composuit teste Ambrosio Peuplus, ideo id verbotenus tanquam Virtutum Ejus Compendium adtexere volui. Estquè sequens:*

Hic

Hic penè ante subtilis fuit, quàm homo esset.

Occultavit Patriam suam dum nascitur ut subtiliter nasci posset.

Tria Regna de eo sic disputant, ut nullibi ferè natus sit, dum ubique nascitur.

Cessate Lites!

Ibi Scoto Patria est, unde illi subtilitas venit.

Subtilitatem Infans ab ea petiit, quæ subtilis esse debuit, ut Deipara esset.

Accepit eâ Lege, ut subtilitatem conceptæ Matris defenderet,

Inde ipsi subtilitas tanta, ut ipsum etiam nomen subtile sit.

Nec alius esse debuit Alumnus, Virginis, & futurus Patronus.

Philosophiam sic excoluit, ut ejus inventor esse posset nisi natam invenisset.

Ita Aristotelis Discipulus, ut doceri ab eo Aristoteles vellet, si viveret.

Augustini tantus Interpretes, ut eum Augustinum diceret, si Scotus non esset.

In Theologia quæ quævit S. Thomam, si superare non potuit.

Et nè unus Theologiæ Princeps esset, eam in duo Regna divisit.

Mytheria fidei Christianæ irascivit, ut penè non crederet.

Extinxisset scientia fidem, nisi cæca simul & oculata esse posset.

Naturam Dei ita descripsit, quasi aspexisset.

Arcana Sapientiæ Divinæ, quasi penetrâisset.

Delicias alterius vitæ, quasi expertus esset.

Atque hæc omnia tam sublimiter ut crederet usum radii solis, nisi Scotus esset.

Sed nihil melius probavit acumen Scoti, quàm sublimitas Conceptæ Virginis.

Agitabatur à filiis Origo Matris, quam Scotus impuram volebat nè Deum inficeret.

Ducenta Adversariorum argumenta ita repetiit, ut dubitatum sit, an Deus suggereret.

Ita dissolvit, ut nemo dubitaret, quin Deus cum homine responderet.

Adduxit rationes tam Sacras, ut in ejus verba Sorbona juraret.

Decretum est, nè quis admitteretur ad lauream nisi hæc in parte Scotista esset.

Adjectum est Vorum Celebrandæ Conceptionis quotannis cum Virgine Scotus triumpharet.

Non arrogavit sibi eam victoriam quàm miraculum pepererat.

Dum ad pugnam pergit, oravit Virginem in Imagine, & Imago respondit.

Inclinavit Caput Imago faxea, ut opem annueret.

Adhuc perseverat inclinatio, nè quis de antiqua victoria dubitet, quæ quotidie nova est.

Attollere hæc omnia Scotum poterant, nisi Minorita esset.

Coloniam destinatus, ut ibi Sapientiæ Coloniam institueret,

Perrexit insalutatis Parisiis, ut obedientia cæca esset.

Ibat pedes vir triumpho dignus, fatis oneratus Scoto, nisi subtilis esset,

Progressa obvia Colonia eò majorem venerata est, quò aspexit Minorem.

Redintegrata Conceptionis pugna renovavit victoriam.

Vicit Discipulos Colonix, qui Parisiis Magistros vicerat,

Non incruenta tamen victoria, dum post pugnam interiit.

Martyr Conceptæ Virginis appellandus, seu merita vitæ, & mortis calumnias spectes.

Tunc fabulis credas? miracula consule,

Et mirare Ingenium Scoti, dum mortem occultavit, qui natales celaverat.

Scilicet

Subtiliter mori voluit, qui subtiliter natus erat,

Illud certum paucis annis tam multum scripsisse ut iis legendis vix alter sufficiat.

Pugnat voluminibus cum Thoma, Scripturus plura, si scripsisset minus subtiliter.

Uterque Doctor, Ille Angelicus, hic subtilis.

Sed hic subtilis esse non posset, nisi Angelicus esset.

Huic Encomio plura similia si non majora Elogia addere possẽm,
& congerere nisi Orbe & Urbi jam dudum innotuisset Ingenium,
subti-

subtilitas, acumen cum pietate, scientia, & Summa Sapientia, unum tamen superaddere cogor ob synceram Patris Thomæ Comptonii Societ. JESU mentem & amorem veritatis, quam de Scoto sic edisserit Disp. 35. Phyl. Sect. 3, *Tandem hanc sententiam optime explicat & Illustrat Scotus, Doctor verè subtilis, Oxoniensis, quondam Academiæ splendor, non Alienigena, ut quidam non rectè opinantur, sed in Anglia natus ut clarè ostendit in sua Britannia Guli: Gamdemus in Northum p. 6. 70. Horum tamen hac in parte studium non improbo, is enim est Scotus, ut non tres tantum sed trities tres de eo nationes meritò certare possent. Hæc ex pluribus aliis sufficiant in laudem Doctorum nostrorum.*

Tu Lector *Ex ungue cognosce
Leones.*



PRO-